SIGEBERTI HAVERCAMPI

ORATIO INAUGURALIS;

qua probatur,

VIGENTE ÆMULATIONE, ET GLORIÆ STUDIO, VIRTUTEM GRÆCORUM AD MAXIMA IMPERII ET LITERARUM INCREMENTA PERVENISSE; AT VERO, SUBLATA ÆMULATIONE, ET EXTINCTO GLORIÆ ARDORE, OMNE DECUS LITERARUM, UNA CUM IMPERIO, CONCIDISSE.

Publice habita a. d. 2. *Decemb.* MDCCXXI.

QUUM ORDINARIAM GRÆCÆ LINGUÆ PROFESSIONEM in Illuſtri ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA ſolemniter auſpicaretur.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ISAACUM SEVERINUM. MDCCXXI.

ILLUSTRISSIMIS ET NOBILISSIMIS

VIRIS,

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

CURATORIBUS,

D. D. WILHELMO, BARONI WASSENARIAE,
Dynaſtae in Sterrenberg, &c. Equeſtri Ordini Nobilium Hollandiae Praeſidi, Magni Sigilli Cuſtodi, &c. &c. &c.

D. D. HUBERTO ROSENBOOM, JC.
Toparchae in 's Grevelsregt, Supremae Batavorum Curiae Praeſidi, &c. &c. &c.

D. D. HERMANNO VAN DEN HONERT, JC.
Reipublicae Dordracenae Conſulari, Aggerum Alblaſſerwaerdenſium Comiti, &c. &c. &c.

ÆORUMQUE COLLEGIS,

VIRIS AMPLISSIMIS,

REIPUBLICÆ LUGDUNO-
BATAVÆ

CONSULIBUS,

D. D. CAROLO CRUCIO, JC.
Consulum Praesidi, &c. &c.

D. D. NICOLAO VAN BANCHEM, JC.
&c. &c.

D. D. HENRICO VAN WILLEGEN, JC.
&c. &c.

D. D. PETRO CUNEO, JC.
&c. &c.

UT ET

VIRO GRAVISSIMO,

D. D. PETRO GYS, JC.
Civitatis Lugdunensis Scabino, & Illustri Curatorum & Consulum Consessui à Secretis,

Hanc Orationem

D. D. D.

SIGEBERTUS HAVERCAMP

ORATIO INAUGURALIS.



Ttritis *Africæ* rebus, & debellatis *Pœnis*; quum in Senatu *Romano* longe maxima res agitaretur, quid de subacta *Carthagine* esset statuendum? inexpiabili odio flagrans *Cato*, severe pro more & censorie pronunciavit, *Delendam esse Carthaginem.* At ille ex nobilissima *Corneliorum* Gente, illustri *Scipionum* Familia, *Idææ Matris* hospitio Optimus Civium judicatus *Nasica*, provide censuit servandam, NE METU ABLATO ÆMULÆ URBIS LUXURIARI FELICITAS ROMANA INCIPERET.

Verissimam hanc Sententiam, & tanquam ex tripode prolatam, non modo eventus

in ipſis *Romanis* poſtea docuit, ſed & per omnes populos denſa ubique probarunt ſpecimina. UBI ENIM VIRTUTEM PRÆCIPUE GRÆCORUM CONSIDERO, TAM ILLAM BELLICAM, QUAM LITERARIAM; FERVENTE INVICEM ÆMULATIONE ET GLORIÆ STUDIO, AD MAXIMA RERUM INCREMENTA PERVENISSE INVENIO; AT VERO SUBLATA ÆMULATIONE, ET EXSTINCTO GLORIÆ ARDORE, OMNE DECUS LITERARUM UNA CUM IMPERIO CONCIDISSE.

Quod ipſum, AUDITORES HUMANISSIMI, dum Vobis, tanquam depictum in Tabula, ante oculos ponere ſatago, advortite quæſo animum, & benignas Orationi meæ præbete aures.

Exempla in medium proferenda ſunt? & libera in *Themiſtocle* vidit *Græcia*, & ſerva eadem admirata eſt in *Philippo*, in *Alexandro* autem domitus univerſus Terrarum obſtupuit Orbis. At quibus illi ſti-

ſtimulis excitati ſomnum oculis non videre ſuis? quibus incenſi ignibus, ad *Græciæ* Dominationem adſpirarunt? quibus percuſſi ſucceſſibus, ne excitanda ex hoſte aliquo tropæa ſibi relinquerentur, ſunt veriti? Nullis; niſi Æmulatione laudis, & licita quandoque Gloriæ ambitione. *Marathonia* ante oculos Tropæa, Virtus unius *Thebani*, *Philippi* victoriæ, quos ferierunt, & *Miltiade* clariores, & *Epaminonda* majores, & ipſo *Philippo* victorioſiores reddere potuerunt.

Imperium *Græciæ*, ſicut varie fluctuavit ad *Philippi* & *Alexandri* uſque tempora, geſto bello pari milite, paribus armis, exercitatione corporis atque animi virtutibus iiſdem, ita, quæ inter pares fervidiſſima ſolet eſſe æmulatio, nunc victricem ſalutavit filiam *Jovis Ægiochi* armipotentem *Minervam*, nunc armatam *Venerem*, vel ſine *Paride* victoria potiri vidit. Deguſtarunt & expetitum multis

Dominationis titulum *Bœötorum* ſub craſſo aëre nati; ubi unius hominis virtus totius Gentis abſolvit decus, & in *Epaminonda* inchoatum eorundem atque exſtinctum eſt Imperium.

De *Athenienſibus* prius ut agamus, & ordo rei & ratio Gentis exigit, quæ, ſi vel nulla, ſeu vicini, ſeu peregrini populi æmulatio exſtitiſſet, tamen ipſa ex ſeſe omnigenæ virtutis exempla poſteritati prodidiſſet. Quidni enim ex ſeſe generaret typum rerum expetendarum, cujus & ultra modum fœcunda tellus *Autochtonas* peperiſſe fertur incolas; cui Dea contigit cæſiis oculis *Minerva*, non illa pro more communi, ſed ex *Jovis* cerebro nata virago. Itaque mihi illorum virtus & cum populo ſuo nata eſſe videtur, & gloria proxime ad Immortales Deos acceſſiſſe.

Paria virtutum exempla in *Athenienſibus* ſi quæramus, & *Codrus* ſeſe & *Solon* offerunt; incertum, utrum ille præſtantior

ge-

gesto Regno, an hic contemto. Utrique certe plurimum *Atheniensium* debuit Respublica; Illi, quod liberi a servitute hostium viverent, & *Doriensium* victores; Huic, quod *Megarensium* contuderint fastum; &, quod longe majus est, omnes justitia & pietate vicerint mortales. Morte voluntaria salutem Patriæ *Codrus* redemit, & Oraculi implevit fidem. Capitis sui periculo Civium indecoro Plebiscito adversatus est *Solon*, atque ipsis *Apolline* verius exstitit Oraculum. Si itaque memoriæ *Codri* est datum, ut nemo post eum *Athenis* regnaverit, sed ipse ultimus exstiterit Regum; non tam *Athenienses Soloni*, quam ipsa veritas testimonium Viro præbuit, & primum Sapientum *Solonem* dixit.

At quoniam sibi commode, quæ sapientiæ non tantum erat Dea, sed & belli, *Minervam* elegêre *Athenienses*, vix majora virtutum & æmulationis exempla, quam

in clarisſimis illis duobus Belli fulminibus, *Miltiade*, atque *Themiſtocle*, inveniuntur. Quid enim nobilius pugna illa *Marathonia*, & Tropæis illis, quorum cogitatio dulcem præ cunctis, feſſo homini, ſomnum adimebat *Themiſtocli?* Hic quam bene magnificis tanti Imperatoris laudibus & rebus geſtis ſuccesſit! Uterque Maximum Regem, totius *Aſiæ* inſtructum viribus, & numeroſiſſimos exercitus, devicit, delevit. Uterque, & in providendo cautus, & in exſequendo promtus, victoriam non numero militum, ſed virtute, parari oſtendit. Pares & in illo, quod invidia, quam raro bonus quiſquam effugit, oppreſſi, ille quidem carcerem & mortem magno tulerit animo, hic vero exſilium & damnationem.

In arenam nunc prodeat par bene comparatum, eloquii ſuada invictus *Pericles*, & ſublimitate cothurni Princeps *Sophocles*. Illis ſcilicet temporibus vere magnifici in-

incedebant *Athenienſes*, quibus *Martis* & *Muſarum* uni atque iidem erant alumni, quum & *Socrates* fortiter faceret, & in Scænam eundem afferret animum, quem ex prælio retulerat, *Æſchylus*. *Sophoclis* certe ſublimis ardor etiamnum gravi effulget carmine; *Periclis* autem in æternum laudabitur prudentia; qui, prævidens ex intactis ab hoſte agris invidiam ſibi & proditionis infamiam quæri, jam antê fundos ſuos Reipublicæ dono dederat; clarus aucta virtute & fortitudine ſua Republica; major etiam aliquanto privati contemtu patrimonii.

Diſputatum fuit a multis, utrum natura, an ars, plus valeat in homine. Et inter has ipſas quaſi arcana quædam videtur eſſe æmulatio. Apertam vero atque publicam, *Athenienſes* pariter, *Alcibiades* atque *Conon* præbuêre. In illo Natura, quid efficere poſſet, experta creditur. In hoc longa experientia. Itaque uterque ſummus *A-*

thenienſium Dux eſt habitus; uterque ſummas Patriæ peperit victorias. Utroque abſente, Civibus ſuis omnis Victoriæ fructus, imo ipſa libertas, periit. Et denique, quaſi in utriuſque fato æmulatio quædam fuiſſet Sortis, exilium ante pariter experti, dum amplificare Patriam ex hoſte ſtudent, pari proditione opprimuntur.

Sine Fortuna ſi Virtus per ſe ſit æſtimanda; negant, fide, conſtantia, magnitudine animi, in Patriam amore, *Thraſybulo* quemquam eſſe præferendum. Hujus & ante virtus Bello innotuerat *Peloponneſio*, & longe clarior exſtitit fama, pulſis triginta Tyrannis, & reddita Patriæ libertate. Habemus tamen æmulum ſtudiorum ejus atque virtutum *Lyſiam* illum Oratorem, a parentibus quidem *Syracuſanum*, ſed quem in tantum juvit *Athenis* eſſe natum, ut & ipſe, eodem tempore exſul, quingentos milites, ſtipendio ſuo in-

instructos, in auxilium Patriæ communis Eloquentiæ miserit.

Properamus ad terminum Gloriæ *Atheniensium*, & finitam Dominatione *Philippi* Rempublicam. Verum, sicut morientium, non fortia modo verba, sed & facta quandoque esse solent; ita omnium illorum, quos memoravimus, virorum, virtutumque eorundem, ab Antiquis Scriptoribus æmulus *Iphicrates* proponitur; cujus, adolescentis adhuc, supra ætatem virtus admirabilis fuisse dicitur, ita ut nunquam ante eum *Athenienses*, inter tot tantosque Duces, aut spei majoris, aut indolis maturioris, Imperatorem habuerint, utpote in quo non Imperatoriæ tantum, verum & Oratoriæ artes eluxerint. Cum hoc eodem, qui ad senectutem vixisse traditur, consenuit virtus *Atheniensium*; illorum *Atheniensium*, quibus ingens existimationis testimonium ejusdem *Iphicratis*, ex *Thressa* Regis *Coti* Filia genitus, Filius *Mnestheus*

dedit, qui interrogatus: Utrum pluris Patrem, Matremne faceret? Matrem, respondisse fertur. Quod quum omnibus mirum videretur; subjecisse: At merito! Nam Patrem, quantum in se fuit, *Thracem* sese genuisse: contra Matrem *Atheniensem*.

Nimii si forte in *Palladis* Urbis alumnorum laudibus cuiquam fuisse videbimur; *Laconice* porro iis defungemur, quorum breviloquentia etiam in Proverbium abiit. Si tamen paucis dicenda virtus illorum, qui facere, quam dicere amaverunt; & aliis permittere scribendarum Historiarum laudem, modo ipsi exempla scribentibus ministrarent.

At quis mihi primus ex illa Gente & Civitate dicendus, cujus universus Populus nihil aliud nisi quotidiana virtutis invicem fuit æmulatio? Ubi relicto colo, & spretis luxu omni atque deliciis, nihil muliebriter pro consueta impotentia deli-

catus

catus fecit ſexus, verum, æmulæ laudis Epheborum virgines Gymnaſia *Spartanorum* toto Orbe fecêre celebria. Laudi certe *Lacænis* ceſſit, majore mulierum quam virorum virtute repulſus hoſtis. At quis ille? cui nullum Regum, aut Imperatorum, vel ejus, vel ſuperioris ætatis, comparandum fuiſſe perhibent, *Pyrrhum Epirotam.*

Quales in illa Civitate, quum maxime *Lycurgi* floruêre inſtituta, & auri incognitus pallor, Viros fuiſſe dicemus? *Codro* ſuo Nobiles incedant *Cecropidæ*, quem illi opponant *Spartani* habent *Leonidam*, tanto ſpecioſiorem æmulum, quod non pro victoria, de Gente, *Græca* Lingua & inſtitutis utente, fortem impenderit animam; ſed, pro Patria ſua, imo univerſa *Græcia*, ne *Barbaris* ſerviret, ſe atque trecentos ſuos, *Spartana* objecerit mœnia.

Magnum ſane virum *Alcibiadem*, illum *Cliniæ* & *Dinomaches* Filium, *Socratis*

Discipulum, omnium *Atheniensium* nobilissimum, fuisse, in comperto est. Huic æmulum in omni fere vitæ genere *Pausaniam* produxit *Lacedæmon.* Testis *Mardonius*, & lecta viritim, ducenta peditum, equitum viginti millia; qui *Platæas* clade sua & victoria *Pausaniæ* nobiles fecerunt.

Agesilaum certe, quo Statore Reipublicæ, nequaquam *Lacedæmoniorum* claudicavit Imperium, ipsa etiam Fortuna parem *Cononi* æmulum suscitavit. In quibus tantis Ducibus; ætate, virtute, consilio, sapientia paribus; gloria rerum gestarum utrique sua mansit, & quum sub nullo majori hoste fata remanerent, tamen ab altero invictus uterque discessit.

Diximus & *Thebanos* Imperium *Græciæ* degustasse. Hoc illis virtus unius dedit hominis; sed talis, in quo literarum simul & militaris scientiæ fuit æmulatio,

ut

ut & disceptatum de illo sit, utrum Dux, an vir melior, fuerit. Neque cum illo tantum intercidit *Thebanorum* gloria, nullis postea virtutibus, sed cladibus insignium; verum virtus quoque *Atheniensium* hebetata fuit. Sublata enim æmulatione, quam ille acerrime inter omnes accenderat, ex labore & ipsi in quietem, & ex quiete in luxuriam prolapsi sunt, quæ denique illis & finem gloriæ & jugum servitutis superinduxit.

Postquam enim *Philippus*, *Macedonici* ille ampliator Regni, post præludia constituendæ dominationis, in *Illyrios*, *Cappadoces*, *Thessalos* & *Phocenses* exercita, velut robur & cor *Græciæ*, *Athenienses* est adortus, nequaquam, *Thebanis* licet opitulantibus, violentiæ ejus resistere potuerunt, corpora quidem pugnæ objicientes, sed non animum illum, quibus fractæ *Persarum* recessere vires, & plus semel magnis successibus universæ *Græciæ* ten-

tata fuit dominatio.

Alexandro, *Philippi* Filio, cui, a rerum geſtarum magnitudine, *Magni* cognomen adhæſit, Imperio par animus fuit. Incenſus enim, non Patris tantum, ſed & *Æacidæ*, & ipſius *Herculis*, generis ſui auctorum, æmulatione, omnes omnium conatus ſuperavit, & in gloriæ ſtudio longiſſime poſt ſe reliquit. Tantam itaque futuræ magnitudinis ſpem animo concipere potuit, ut trajecturus in *Aſiam*, & ſtans in procinctu, diviſo inter amicos, quod ſibi in *Macedonia* atque *Europa* erat, patrimonio, *ſibi Aſiam ſufficere* præfatus fuerit, & conſpecta primum hoſtili terra, incredibili ardore animi, Duodecim Deorum aras in belli vota ſtatuerit.

Tantis itaque rebus geſtis, urgente fato, merito videtur mihi circumſtantes amicos percunctatus fuiſſe, *Viderenturne ſimilem ſibi reperturi Regem?* Æmulationis certe bellicum inter eoſdem cecinit

vox

vox ejus ultima, qua heredem Imperii fecit *dignissimum.* Omnes enim summis abhinc annisi sunt viribus, ut nemo sese præstantior, aut Imperio videretur dignior.

Facile autem singulis fuit æmulos virtutis & gloriæ, imo & Regni sui, invenire, nam sicuti, nisi ipsi inter sese concurrissent, & æmulatione mutua maxima concitassent bella, pares nusquam reperissent; ita fœcundam maxime Historicis, rerum mira vicissitudine sortis gestarum, reliquere materiam. Ipsos enim illos inter se si conferre velimus, quis *Perdicca* fuit magnificentior, *Eumene* fortior, *Antigono* mansuetior, *Lysimacho* bellicosior, *Seleuco* & *Ptolemæo* prudentior & fortunatior? qui sublatis omnibus æmulis, maxima *Syriæ* atque *Ægypti* tenentes Regna, ad seram posteritatem Regium Nomen propagarunt.

Regrediamur in *Europam*, sed tamen ita,

ut inter Græcos, & in familia *Alexandri* decus illud æmulationis obſervemus. Matri ejus *Olympiadi*, magni animi, & ſupra ſexum forti mulieri, frater erat ejuſdem cum filio nominis, *Epirotarum* Rex, *Alexander*. Excitatus hic virtute affinis ſui, quaſi debitum duobus *Alexandris*, alteri Orientis, Occidentis alteri, eſſet Imperium, maxima animi alacritate, *Italiæ*, *Africæ*, & *Siciliæ*, *Græca* illaturus arma, in graviſſimam æmulationis palæſtram deſcendit.

At hunc non vi hoſtium, ſed fraude exſulum interemtum, egregie excepit *Pyrrhus*, Rex pariter *Epiri*, & *Æacidarum* progenies. Hujus quot prælia, totidem fuere victoriæ; quot bella, totidem Regnorum occupationes. Teſtis *Italia*, teſtis *Sicilia*, *Africa*, & ipſa denique *Græcia*. Nemo *Pyrrhum*, quo impetus tulit, ferre potuit. Hic *Græcorum* vetuſtiſſimos imitatus, non illos modo, quos re-

recensuimus, sed & *Phociones* & *Aristidas;* rarissimam sui, in Rege, & tanto, famam ad posteros transmisit; ut vitæ ejus sanctitas, & incorrupta justitia, inter exempla, non tantum Regum, sed & Illustrium Virorum numerari mereatur.

Prolatis in medium hisce tam magnificis virtutis & æmulationis exemplis, injuriam Regiis facere Titulis viderer, si minorum gentium quædam adderem exempla, quamvis & *Ætolorum* virtus longo steterit tempore, illibata adversus *Atheniensium* & *Spartanorum* dominationem; clara etiam; quod iidem a *Persarum* Tyrannide domesticis sese opibus vindicaverint, *Gallorum* vero violentiam, *Asiæ Italiæ*que terribilem, *Delphico* bello fregerint.

Clarum quoque nomen *Achæorum*, longa libertate, & inprimis Duce *Philopæmene*, fuit, qui sicut maximis sui temporis Ducibus *Annibali* & *Scipioni*, nominis gloria jungitur, ita pariter violento raptus fato, insi-

gnem trium toto Orbe maximorum Imperatorum morte annum effecit. Sed & in hoc mihi, ipſius Ducis, ejusque Patriæ, cum *Epaminonda* atque *Thebanis*, æmula Sortis videtur fuiſſe conſpiratio. Sicut enim aſſiduis cladibus *Thebani* Ducis memoriæ fuit parentatum; ita & *Achæi*, ſublato quem æmularentur cives, prolapſi in deſidiam, non longe poſt in *Romanorum* venêre poteſtatem; atque ipſa opulentiſſima Urbe *Corintho*, capite Regni, diruta, *Bœotorum* infelicitati & *Thebarum* everſioni adæquati ſunt.

Neque enim aliter fieri potuit, quin, ceſſantibus exemplis, pariter & æmulatio & ipſa virtus concideret. Magnum illud, & in ipſa ruina metuendum *Macedonici* Imperii Regnum, ubi exempla virtutis atque æmulationis defecêre, repente, velut fulmine ictum, diſſipatum atque deletum, interiit. Ubi virtus *Demetrii*, alterius ex *Philippi* filiis, qui *Romæ* obſes fuerat, fratrem

trem *Perſeum*, non ad æmulationem, ſed ad invidiam pertraxit, ejuſque gratia obtrectationem, imo & parricidium peperit; non erant jam illi *Macedones*, qui *Orientis* diſſolverant Imperium, & *Græciam* ſubjugaverant; non ille Rex, qui obſcuram Gentem, virtute ſua & fortitudine, ad ſumma faſtigii humani incrementa proveheret. Multo itaque citius, quam *Græciæ* & *Aſiæ* ſibi Imperium, ſub priſtino illo *Philippo*, atque filio ejus *Alexandro*, aſſeruerant, ipſam etiam libertatem cum Regio amiſerunt nomine, & victo atque capto, *Philippi* ultimi, filio *Perſeo*, in Provinciæ formam ab *Æmylio* P*aullo* redacti, leges a victore Populo accepêre, qui quondam univerſæ *Græciæ Aſiæ*que legem dixerant.

Audiviſtis AUDITORES, quid æmulatio & gloriæ potuerit ſtudium, quæ quamdiu viguêre, non invictam modo ab hoſte præſtitêre Græciam, ſed victricem &

formidandam ubique reddiderunt. Utroque vero amiſſo, non finitimis tantum, ſed & remotis populis, prædæ ſpe allectis, pro facili portione acceſſerunt.

Credite nunc eundem ardorem, qui in prælia armavit milites, & bellatores miſit in aciem, nobiliora ingenia incredibili deſiderio afflaſſe; ut, quaſi exuta mortali conditione, per ora virum viva volitarent. Hinc, quem ſpirantem patria ſua vix agnovit, mortuum, corpore non fama, civem ſuum ſeptem nobiliſſimæ Urbes, Nummis, Aris, Templis vindicaverunt. De Rege Poëtarum, *Homero*, loquor, cujus, ſicut Carmina legentium attonitos non tantum feriunt animos, ſed & ad Divinam illam Artem, æſtu quaſi percitos, rapiunt, ita non potuit non æmulos laudis ſuæ invenire. De *Chærilo* ut nihil dicam, *Samio* illo, vel, ut alii volunt, *Halicarnaſſenſe*, viſus ſibi & quibuſdam aliis eſt *Antimachus Colophonius* ad *Homerici*

Car-

Carminis gloriam proxime adſpirare. Cujus *Thebaica* ingenti conſcripta fuiſſe ſpiritu perhibent; Hic ipſe tanto æmulationis œſtro fuit percitus, ut, quum compoſitis in laudem *Lyſandri* verſibus, *Niceratus Heracleotes*, judicio *Lacedemonii* iſtius ſuperior exſtitiſſet, ſcriptum a ſe Carmen aboleverit. Et tamen *Chœrili*, pingue ingenium & proemio ampliſſimo & honore maximo remunerati ſunt *Athenienſes*. Conſcripta enim *Athenienſium* contra *Xerxem* victoria, pro ſingulis verſibus aureum ſtaterem accepiſſe fertur; atque ut quotanis Carmina ejus una cum *Homericis* recitarentur, decreto ſancitum fuit.

Vilem ob hircum (unde & Tragoediæ nomen exſtitit) certavêre quondam rudes in plauſtris verſificatores; verum, poſtquam bellator *Æſchylus*, pro ridiculis Ludis, ad ſeria animum attendere edocuit, & graves in Theatro perſonas grandiloquentia Carminis ſui fecit ſpectabiles, non

aliter Tragœdias ejus, *Perſas*, *Agamemnonem*, *Septem*que *ad Thebas Duces*, admirati ſunt Cives in cothurno, quam ipſum, triplici in prælio, *Marathonio*, *Plataenſi*, & navali ad *Salaminem*, heroice dimicantem; qui fratre quidem *Cynegiro*, omnium *Græcorum* fortiſſimo, ſingulari edita pugna, amiſſo, *Amynia* etiam, per crebra, pectore adverſo excepta, vulnera, inutili Patriæ reddito, ſuperfuiſſe videtur, ut, non corporis tantum viribus, ſed & vi ingenii, æmulationis ſtudium inter *Græcos* accenderet.

Expertus itaque ipſe, in limine ſenectutis, gravem adverſarium eſt *Sophoclem*; illum, quem, provectiore ætate, Ducem etiam Patriæ fuiſſe, diximus; & a juvene vix viginti quinque annorum ſuperatus, adeo ægre tulit, qui, nec in Theatro, nec in Prælio, vinci aſſueverat, ut præ indignatione animi in *Siciliam* ſecedens, nec oſſa ſua *Athenienſibus* donari voluerit

Te-

Tenet itaque Scenam *Sophocles* ſemper victor, & duodeviginti, vel, ut alii volunt, viginti quatuor coronis, frementibus adverſariis, inclytus; cujus etiam Cothurnus, ob ſublime genus dicendi, in Proverbium abiit.

Laudum & gloriæ æmulus excipit hunc Tragicorum ſapientiſſimus *Euripides*, de quo *Quinctiliani* exſtat judicium, quod utroque *longe utilior vi & ſermone, magis accedat Oratorio generi, & ſententiis denſus, & rebus ipſis; & in his, quæ a ſapientibus tradita ſunt, pœne ipſis par, & in dicendo ac reſpondendo cuilibet eorum, qui fuerant in foro diſerti, comparandus. In affectibus vero, tum omnibus, mirus, tum in iis, qui miſeratione conſtant, facile præcipuus.* Et quidni magnum fuiſſe virum exiſtimemus illum, cujus unius gratia, ille, qui, Oraculi teſtimonio, ſapientiſſimus audiebat mortalium, *Socrates*, ire in Theatrum non erubuit?

Tragoediæ, lætiore titulo, Comoedia opponitur; in qua, Veteri quidem, ita eminuit inimitabilis *Aristophanis* lepor, ut supra commendationem os illud sit Atticum. In nova vero, acerrime æmulos se præbuêre *Menander* & *Philemon*, fluctuante inter utrumque sæpius victoriæ palma, mobilique populi aura, nunc in hunc, nunc in illum prono judicio inclinante. *Menander* certe ita graphice mores hominum depinxisse traditur, ut dubium dixerint, utrum vita *Menandrum*, an *Menander* vitam expresserit.

Philetæ & *Mimnermi* si exstarent Elegi, videremus quousque illorum processerit æmulatio, quidve in amore præ *Homero* valuerint; nam *Anacreontis*, *Sapphus*, *Alcæi*, innumerorumque aliorum, doctos labores, Patriæ communis secum rapuit fatum, & cum irreparabili elegantiorum hominum damno, tantum non penitus abolevit.

Fe-

Feliciore fato, dignissima Immortalitate Scripta veterum Medicorum, vel certe ex iis præstantissima, ad nostram ætatem pervenerunt. In hisce suæ gloriæ sibi soli unica æmula exstitit Græcia, dum viros, multis aliis æquiparandos, ex suo protulit gremio, variæ sibi invicem laudis æmulos. Neque enim contenti hi, propulisse a mortalibus diram morborum pestem, & mille mortis modis, quantum humana fieri potuit industria, obviam ivisse; tacita quadam virtutis æmulatione, & pulcherrimæ rei gloria ducti, non tantum de artis suæ peritia, sed & de scientia Humanioris Literaturæ adhucdum invicem certare videntur. Testes mihi advoco illos quoscunque, qui vera ad scientiam via grassati, dum ex nativis hortis semina & flores doctrinæ legunt, apud *Nicandrum* quidem, ligata oratione, simplices illas & veteres *Græci* sermonis delicias, soluta autem, admirantur penes *Aëtium Amidenum*, *Aretæum Cap-*

padocem & *Alexandrum Trallianum.* Nam ad *Hippocratem* illum *Coum* quod attinet, cujus etiam natalem, ut apud ſe geniti Dei, diem, quotannis cives ſui celebrarunt, in illo viro omnia ſunt ſtupenda; quaſi non præcepta, ſed Oracula totidem, poſteritati tradiderit. Neque tamen iſte ſibi ſolus omnem ita penitus vindicavit gloriam, ut non adſpirare ad ſummum in Re Medica decus, *Pergami* genitus, auſus fuerit *Galenus*; cujus viri labores, ſane haud pauci, iique omni eruditionis genere conditi, omnium ſicuti manibus teruntur, ita & applauſum merentur.

Quis ipſius Naturæ interpretem non veneratur *Ariſtotelem*? cujus capax ingenium *Alexander* ille *Magnus* & animo eſt admiratus, & liberalitate plurimum fovit. Quis *Theophraſti* audit nomen? ut non divinum ſibi fingat os, & nectare dulciorem orationem. Hunc, *delicias ſuas*, &, ex familiari lectione, *amicum* appellare

con-

ſueſtis fuit ille *Romani* Eloquii parens *Tullius*. Huic, quum *Tyrtamus* antea vocaretur, *Euphraſto* nomen impoſuit magiſter *Ariſtoteles*, & ipſum a ſingulari eloquii vi deductum vocabulum. Evicit tamen poſtea orationis excellentia, ut potius *Theophraſtus* diceretur.

Tantorum virorum virtus & fama haud tamen abſterruit *Anazarbeum Dioſcoridem*; Qui, elaboratis *Hyles Iatricæ* libris quinque accuratiſſimis, ampliſſimum ab ipſo *Galeno* retulit teſtimonium.

Gloriam, atque omnem Nominis Famam, ut rem vanam, nimis quandoque ſuperciliosi, contemnunt Philoſophi; quos tamen pulchre *Cicero*, ad aucupandam re gloriam, quam verbis contemnunt, iisdem illis, quibus eandem damnant libris, Nomen ſuum ait inſcribere. Et quidni ex ingenii ſui fœtu Famam ſibi apud poſteros quærerent illi? qui etiam, ut Nomen ſuum ad Sectatores tranſiret,

omni ope sunt annixi, omnemque ingenii vim consumsere, ut sua potissimum prævaleret sententia.

Jam & illos, qui dicendi plurimum virtute valuerunt, quique rerum gestarum condidere Annales, quem acriorem existimatis habuisse stimulum, quodve amplius proemium, quam æmulationem atque gloriam? Non ita adversarii evitare ictus, & apertum mucroni locum quærere, gladiatoria unquam potuit exercitatio, quam par illud, quod in *Græcia* Fortuna comparaverat, *Demosthenes* atque *Æschynes*; quorum ille quidem, audito semel, qui tum magna cum populi admiratione causas agebat, Oratore *Callistrato*, unice ad Eloquentiæ studium accensus, emendata etiam per impigrum laborem naturali balbutie, ad tantam pervenit famam, ut etiamnum commemorato ejus nomine, maximæ eloquentiæ consummatio animo oboriatur audientis. Hic autem, quum præ

præ indignatione amissæ victoriæ, lubens *Athenis* valedixisset, in ipsa calamitate sua maximum adversario dedit testimonium. Hunc enim, quem *summum* appellat *Oratorem*, narrat *Plinius*, prælegisse *Rhodiis*, illam quæ adhuc exstat, Orationem in *Ctesiphontem*, & simul præclaram illam *Demostenis* Defensionem, mirantibusque, tum magis fuisse miraturos, respondisse, si ipsum illum *Demostenem* orantem audivissent. Adeo ille, qui plurimum dicendo post *Demostenem* valebat, *Æschynes*, primus *Rhodi* atque *Sami* esse & haberi maluit, quam ipsis *Athenis* secundus.

Claudent agmen, Historiarum laude nobilissimi, *Herodotus* atque *Thucydides*. Quorum ille, provide prospicens altum auditoris sui animum, patrem *Orolum* ultro est adhortatus, ne educationem ejusmodi negligeret filii, quem sibi in magnitudine gloriæ facile successurum vaticinabatur. Hic autem, generosæ indolis adolescens,

vix ſexdecim annos natus, ubi in Olympiis *Muſas* ſuas recitantem Patrem Hiſtoriæ audiit *Herodotum*, nec lacrymas præ admiratione; atque idem olim faciendi cupiditate, tenuiſſe, affirmatur. Unde & poſtea cives ſui, quem propter amiſſam *Amphipolim* exſilio damnarant, Rerum Conditorem revocavêre, eloquentiam ejus mirati, cujus virtutem damnaverant.

At vero, tanta hæc, & tot ingenia, ubi & quando nata ſunt? In *Græcia*, certe, ſed libera, ſed nullo Tyranni jugo preſſa, nullius victoris libidini proſtituta. Libertas, fari quæ ſentias, in commodum & publicum & privatum, nullos vel auricularios vel delatores metuentem, permittit. Libertas eadem generoſos producit animos, & æmulationem inter pares maxime accendit. Itaque, pro virili *Macedonum* Tyrannidi obſiſtentes, *Athenienſes* exemplo ſuo firmavêre & *Demoſtenes* & *Hyperides*. Neque enim *Philippus* aſtu-

astutia sua, Ducem sese *Graeciae*, non Regem, appellans, deturbare eosdem a tuenda Libertate potuit; neque *Alexander*, domita *Asia*, felicitate sua ad se pertrahere; neque *Antipater*, corporibus potitus, animum, quantumvis violentus, expugnare. Alter enim ultro medicata sese potione absolvit; alter, ne Patriae res proderet, praemorsa etiam lingua, sibi ipsi, vel in crudelissima morte, silentium indixit.

Quousque itaque virtus *Graecorum* hostibus fuit formidabilis, eousque felicium ingeniorum ferax eorundem tellus fuit; imo quamdiu sapientum atque doctorum virorum ingens numerus, mutua aemulatione, nihil esse utile, nisi quod & simul esset honestum, & scriptis & factis ostendit, non potuit non felix *Graeciae* esse status, & tuta libertas. At ubi sua virtuti subducta sunt praemia, & ineptum existimavêre laudari a continentia, frugalita-

te, fortitudine, qui laudanda facere desierant, ingenia quoque ipsa degeneraverunt, & ad assentationem composita, dummodo grata Imperantium auribus proferrent, nihil pensi habuerunt, venalem & linguam & fidem, non veritati, sed commodo suo addicere.

Apparet itaque A. H. vicissitudinem illam, quæ in cunctis fragilitatis hujus humanæ dominatur rebus, terminum etiam gloriæ *Græcorum* posuisse, & cessante æmulatione, victores quondam domitoresque Gentium, mortalium sapientissimos, & Fortunæ muneribus beatissimos, redactos eo, ut sub alieno semper arbitrio viventes, obliterata quasi pristina virtute, infelicissimi evaserint mortalium.

Et tamen hodieque fama istius Nominis totum implevit Orbem, & *Græcarum* Literarum cultus inter maxima Humanioris Literaturæ ornamenta recensetur. Recte

ćte ſane. Nam ſicut adhucdum in Scriptis ſuis vivunt, quorum tellus nil niſi mortales habet exuvias; ſicut adhucdum delectant animos, qui quondam lyræ & carminis ſui ſuavitate doctas ad ſeſe aures rapuêre; ſicut adhucdum regnant in Orationibus, qui plena olim moderabantur theatra; & denique, facienda fugiendaque, ſub exemplis rerum olim geſtarum adhucdum demonſtrant, qui civibus quondam ſuis, vel ſua, vel ſui ſimilium virtutis exempla, illibata fide tradiderunt; ita iidem, & nunc, & ſemper virtutis æmulationem, & Gloriæ cupiditatem, in omnibus illis accendent, qui nobiliore ingenio præditi, non ſolis ſibi, ſed patriæ quoque communi, ſeſe genitos reputant; nec famam nominis ſui, ex mortalis hujus corpuſculi duratione, ſed ſuperſtite quoque fama, metiuntur.

Quare, quum veriſſime, de *Græcorum* Lingua atque Monumentis, ad illos, qui

hæc talia & tanta contemnunt, dici queat id, quod reſpondiſſe olim ſpretum *Græcis* referunt *Gelonem*, *Siciliæ* Tyrannum: *Ver illis ex anno exemtum eſſe*; quis rectus rerum æſtimator, non abundare virtutibus Patriam noſtram fatebitur, dum & ipſa alienas amat? Quid enim pulchrius, quam liberos homines, nec bellica virtute deſtitutos, artibus certe & inventis claros, delectari & Lingua & Monumentis illorum, quibuſcum illis tanta virtutis & fortunæ cognatio intercedit? Quid præſtantius, quam ſimilium ſibi virtute excitari, & commemoratione, atque lectione rerum ab iiſdem magnifice geſtarum, ad æmulationem virtutis accendi, & ad veræ gloriæ viam feſtinato curſu contendere? Ut tandem deſinant obtrectatores laudum heroicarum, *Græcorum* Annalibus fidem derogare, quum, in literata Gente, & pertinaciſſimo libertatis ſuæ defenſore, paria virtutis admirentur exempla.

Bene, quod apud *Batavos*, expulsa lare suo Vetus *Græcia*, non tam tutum Exilium atque honoratum, quam ipsam invenerit Patriam. Certe ad hanc Urbem, & Illustre hoc Gymnasium, tanquam in sanctissimum sese contulit Asylum, seseque totam insinuans immortalium virorum pectoribus, velut ipsius natalis soli oblita, Bicipitem suum transtulisse *Parnassum*, & *Heliconiadum Musarum* fixisse domicilium videtur.

Quum enim altius animo meo vetera hujus Urbis atque Academiæ Decora revolvo, Imagines & Monumenta, mori nescia, sese ingerunt, longe maximorum Virorum, qui utramque, domicilio suo, lingua, scriptis reddidere illustrissimam. Vera Nobilitas, quæ ex virtute procedit, quos habebit unquam Literarum gloriâ famâque Virtutis, *Scaligeris*, *Clusiis*, *Salmasiis*, æquiparandos, nedum præferendos? Portenta hæc ingeniorum, la-

borum, laudum, honoratum larem in hac habuerunt Urbe, & præſentia ſua, velut Studiorum quædam Numina, fovere non tantum, ſed & afflare nobiliora viſa ſunt ingenia. Itaque Ædes illorum Templa, Pectora Adyta fuêre, Scripta adhucdum inſtar ſunt Oraculorum.

Nolite exſpectare A. H. per ſingula me iturum hujus Lycei Ornamenta, quorum ſane quantumvis parca laudatio etiam libri molem facile implere poſſet; ſed tamen ſinite veſtra parumper abuti patientia, illos ut recenſeam, qui *Grajas Muſas* in *Batavorum* adduxêre Terras, & *Græcæ* Sapientiæ theſauros Patribus noſtris recluſerunt.

Quum nobiliter libertatem Patriæ, ferro & fame preſſa Civitas, heroica vindicaſſet conſtantia, accepta Sapientiæ & Literarum Tutela, *Argolicas* primum *Muſas*, ſub *Petrejo Tiara* ſalutavit. *Apollinis* hic filius, non Medendi tantum arte

(quæ,

(quæ, nescio quo fato, maximos, olim quidem, in Literis etiam Humanioribus, Orbi viros dedit) sed & Poësi clarus, felicissime veteres *Græciæ* Vates *Latino* expressit carmine.

Major *Bonaventuræ Vulcanii* fama, quo quidem viro, nescio, an solide magis doctum, & in *Græcis* Scriptoribus, cui sese unice studio addixerat, exercitatiorem, ferax ingeniorum, tellus nostra, sinu suo foverit. Hic, quum ad decrepitam usque ætatem, indefesso labore, ducem sese studiosæ præbuisset juventuti, post mortem etiam exemplum magnificæ liberalitatis exstare voluit; nascenti enim Bibliothecæ, librorum suorum thesauros, maximum plerumque Literatis patrimonium, æmulandâ beatioribus legavit munificentiâ.

Æternitatem cogitare symbolo suo jussit *Joannes Meursius*; æternitatem ipse, si quis unquam, improbo labore est assecu-

borum, laudum, honoratum larem in hac habuerunt Urbe, & præsentia sua, velut Studiorum quædam Numina, fovere non tantum, sed & afflare nobiliora visa sunt ingenia. Itaque Ædes illorum Templa, Pectora Adyta fuêre, Scripta adhucdum instar sunt Oraculorum.

Nolite exspectare A. H. per singula me iturum hujus Lycei Ornamenta, quorum sane quantumvis parca laudatio etiam libri molem facile implere posset; sed tamen sinite vestra parumper abuti patientia, illos ut recenseam, qui *Grajas Musas* in *Batavorum* adduxêre Terras, & *Græcæ* Sapientiæ thesauros Patribus nostris recluserunt.

Quum nobiliter libertatem Patriæ, ferro & fame pressa Civitas, heroica vindicasset constantia, accepta Sapientiæ & Literarum Tutela, *Argolicas* primum *Musas*, sub *Petrejo Tiara* salutavit. *Apollinis* hic filius, non Medendi tantum arte

(quæ,

(quæ, nescio quo fato, maximos, olim quidem, in Literis etiam Humanioribus, Orbi viros dedit) sed & Poësi clarus, felicissime veteres *Græciæ* Vates *Latino* expressit carmine.

Major *Bonaventuræ Vulcanii* fama, quo quidem viro, nescio, an solide magis doctum, & in *Græcis* Scriptoribus, cui sese unice studio addixerat, exercitatiorem, ferax ingeniorum, tellus nostra, sinu suo foverit. Hic, quum ad decrepitam usque ætatem, indefesso labore, ducem sese studiosæ præbuisset juventuti, post mortem etiam exemplum magnificæ liberalitatis exstare voluit; nascenti enim Bibliothecæ, librorum suorum thesauros, maximum plerumque Literatis patrimonium, æmulandâ beatioribus legavit munificentiâ.

Æternitatem cogitare symbolo suo jussit *Joannes Meursius*; æternitatem ipse, si quis unquam, improbo labore est assecu-

tus. Nemo, ut opinor, injuriam me cuiquam fecisse æstimabit; si, huic uni, præ omnibus aliis, plurimum debere Veterem *Græciam* dixerim. Nulli sua ita nota domus, quam *Meursio* fuere *Athenæ*, *Attica*, & omnis *Græcia*. Nemo suos melius novit mores, quam ille *Græcarum* Urbium & Populorum.

Nunc, corculum illud *Musarum*, Illustrium *Dauzæ* & *Scaligeri* delicias, quo potissimum nomine commendabo, *Danielem Heinsium*? præcox ingenium, summa æmulatio, festinati honores, *Danielem* commendant *Heinsium*, sed super omnia beat, Elegantioris Literaturæ, atque Principum Virorum amor & deliciæ, *Nicolaus Heinsiades*, & superstes etiamnum, Felix Propago, atque Amplissima Affinitas.

Cui quam bene jungitur Nobilis Collega, Decus olim Literarum, Eloquentiæ Suada, *Josephicæ* (si per Fata licuisset) Hi-

Historiæ assertor, *Petrus Cuneus*. At, non exstincti penitus (vetat enim Fama) Gloriosa Nepotum Virtus, vivam adhuc exhibet Imaginem; qui, sicut ille olim hujus semper florentis Academiæ, ita (sub quorum illa Ægide tuta degit) & Urbis & Patriæ etiamnum summa sunt Decora.

Frustra *Plutarchum* suum, aliorumque multiplices doctrinæ fœtus *Græcia* nobis objicit. Habuit hæc Civitas, unum parem omnibus, *Gerardum Joannem Vossium*. Noverit virum, qui, Bibliothecam spirantem, & omnium Scientiarum locupletissimum dixerit Thesaurum.

Barlæos, *Perizonios*, *Gronovios*, Doctrina, profundissimæ eruditionis radios ex pulcherrimis illorum spargens Monumentis, ubique terrarum clara facit nomina. Ex quibus, inprimis, magni illius *Ioannis Frederici Gronovii*, dignissima soboles, *Iacobus*, innumeris sibi *Græciam* devinxit officiis. Testes *Polybius*, *Arrianus*, *Herodotus*,

ditus, qui & juvenem exercuere, & senem hilari labore ſunt experti. Hoc ego ſtudiorum meorum Duce, & laborum Hortatore ſuperbio.

Hujus *Atlantis* me ſubire vices, ILLUSTRISSIMI, NOBILISSIMI, SPLENDIDISSIMI DOMINI CURATORES, ET AMPLISSIMI ATQUE GRAVISSIMI FELICISSIMÆ URBIS PROCERES, dum BENIGNISSIMA VESTRA juſſit MUNIFICENTIA, ſentio ſane, quantum onus humeris meis exceperim. Verumtamen, quoniam jacta eſt alea, & tantum ad me Decus, ſine ulla præhenſatione, improviſum, inexſpectatum, a GENEROSISSIMA VESTRA LIBERALITATE ultro eſt provolutum; ſummis annitar viribus, ut AMPLISSIMO JUDICIO VESTRO, *Spartam*, quam ſuſcepi exornandam, porro amplificare videar. Imo ultro profiteor, tanto acrioribus me incitari ſtimulis, quanto majora æmulationis exempla, quibus hoc ipſo ſuccedo tempore,

pore, omnibus in propatulo ſunt propoſita.

Ad Vos nunc accedo, Celeberrimi atque Eruditiſſimi Bonarum Artium atque Literarum Profeſſores, qui ita Clariſſima hujus Academiæ eſtis Lumina, ut ſimul luceatis univerſo Doctrinarum Orbi. Recipite me in Nobiliſſimum Veſtrum Collegium, qui tamen, quum me ipſe intueor, facile meam agnoſco mediocritatem. Nullas ego Majorum ad Vos apporto Imagines, apud quorum plurimos perpetuata ſimul cum ſumma eruditione Paterna ſunt Decora. Adfero tamen illum animum, qui mirabitur in Vobis priſca illa celebratiſſimi hujus Lycæi Ornamenta; Non ego veteres illos Heroas, niſi nomine & corpore tenus defeciſſe arbitrabor; ubi, in præclariſſimis ingenii veſtri dotibus, Divinæ omnis Humanæque Sapientiæ cognitionem laudabo. Imo cum iis ipſis intima mihi videbor familia-

ritate conjunctus; ubi, adſcitus in Honorificum Veſtrum Conſortium, Veſtra Societate, Veſtro Convictu, mutuiſque invicem Officiis uti atque frui licebit.

Supereſt Orationi meæ Nobiliſſimorum atque Ornatiſſimorum Juvenum Studioſa Cohors, Spes Parentum, Spes Patriæ, Spes Eccleſiæ; ad hæc & majora olim adſcenſura Decora, modo adſit animus impiger, ſtudium indefeſſum, æmulatio mutua. Degeneres animos fatiſcentis ſeculi rapiunt vitia, & falſa ſub peregrino nomine Eruditio. In hoc incumbite, ne juvenes vos, prudentiâ ſenes, induſtriâ æquales antecedant. Agite, cum ſtrenuis virtute, cum modeſtis pudore, cum innocentibus abſtinentiâ, cum doctis eruditione contendite; de gloria & honoribus ſecuri; ultro vos ſequentur.

Utinam Sapientia oculis cerni poſſet! Incredibilem, ſcio, in animis intuentium ardorem excitaret. Nunc variis Diſciplinis

nis (ut variegato olim Peplo suo *Minerva* illa *Atheniensis*) involuta; non aliis sese conspiciendam exhibet, quam quos beatorum numero dissidens plebi sua virtus eximit, & pares facit illis Heroïbus, quos olim ipsius Deæ Peplo, Gloriæ & Sapientiæ Theatrum *Athenæ*, inserendos censuerunt.

Sane sibi ipsi Virtus maxima est merces, & constanter animo suo vir probus tenere debet, etiamsi nulla præclaris actis relicta esset remuneratio, sese tamen, quod suum est, agere, dum immortalem animum iis subducit erroribus, quibus mortale corpus affligitur, illumque ipsum admovet considerandis mirabilibus Dei Operibus, & excolendæ conditioni, qua super omnes reliquas humana excellit natura.

Nunc & sua etiam Virtuti præmia Providum proposuit Numen, &, Gentilium licet, magnorum tamen virorum, exem-

pla atque monumenta, immortalibus *Græcorum* ſcriptis, ad nos perlabi ſivit; ut vel inde petamus, quos civili in vita admiremur, imo quos longiſſimo poſt nos relinquamus intervallo, non ab Humana Sapientia, ſed Deo Doctore eruditi, neque ancipitem apud homines Famam, ſed veram apud Deum Gloriam, & Vitam conſecuturi Immortalem.

DIXI.

